

& ducere, Christum debebant, milites, an ministri? Profecto ministri, & quia ipsorum hoc erat munus; & quia eorundem magis intererat, quam militum, ut Christus cautius duceretur. Milites autem erant ex gentibus, ministri ex Judæis.

Vim quoque faciunt, quæ Christus ipse iis dixit, qui seipsum comprehendebant. *Dixit autem Jesus ad eos, qui venerunt ad se, Principes Sacerdotum, & magistratus templi, & Seniores: Quasi ad latronem existis cum gladiis, & fustibus. Cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me.* Hæc quidem Christus militibus, qui Pilato suberant, non dicebat, quum hi nunquam in templum convenerint. Dicebat autem Judæis, a quibus captus fuit, vincetus, & ad Caipham ductus. Unde Cornelius a Lapide: *Secundo, quod captus sit ab hominibus vilissimis, pessimis, sibique inimicissimis, quales erant Scribæ, & Judæi.* Idem Cornelius, explicans militum cohortem, & Sacerdotum ministros, hæc addit: *Porro turbam hanc fuisse mille militum, & insuper plurium satellitum, & ministrorum, Pontificum, liquet ex Joanne cap. 18. 12. ubi ait: Cohors, & Tribunus, & ministri Judæorum, comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum. Cohors enim continebat mille milites. Unde pro Tribunus græce est χιλιαρχος, idest Præfectus mille militum.*

Enarrans insuper Matthæus barbaram ministrorum in Christum sævitiem, quum in ejus faciem expuerunt, & colaphis eum cæciderunt, superaddit: *Alii autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit?* Hos omnes Judæos fuisse, ex laudato Cornelio habemus: *Postquam Caiphas cum Concilio noctu Christum reum mortis proclamavit, illi quasi blasphemus & damnatus insulta-*
runt